EPITOMÆ RESPONSORUM AD QUÆSTIONES LITURGICAS PROPOSITAS IN...

Angelo Schiavo

EPITOMÆ RESPONSORUM
AD QUÆSTIONES LITURGICAS

PROPOSITAS

IN CALENDARIO DIŒCESIS VICETINÆ

ANNI MDCCCLXXV.

VICETIÆ
APUD J. STAIDER TYPOGR. EPISCOP.
MDCCCLXXVI.

SCRIPTORIS PRÆMONITUM

Epitomas responsorum, non disertas quæstionum explanationes exhibeo; cum non in gratiam tyronum, sed ad exercitationem Cleri propositæ quæstiones solvendæ fuerint, juxta tritum illud: *intelligenti pauca.* Si quis plura desiderat, adeat probatos auctores, pervolvatque in primis authentica Sacræ Rituum Congregationis decreta; ad quorum normam si quid minus exactum mihi calamo exciderit, illud in antacassum omnino cassum volo ac deletum. Cæterum unumquemque rogo solito versiculo . . . . .

. . . . , si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum.

A. S.

I.

Q. Quænam S. R. C decreta dicuntur *generalia*, quænam vero *particularia* ?

R. Generalia dicuntur, quæ pro omnibus generatim Ecclesiis eduntur, et inscribuntur titulo *Urbis et Orbis*, vel *Decreti generalis*, vel simpliciter *Decreti*, vel adjecta indicatione rei, de qua agitur, ex gr. *De Festorum Observatione*, vel una tantum voce *Dubii* aut *Dubiorum*. Particularia vero dicuntur, quæ ex petitione vel in causa particularium Ecclesiarum, sive Diœceseon, aut Familiarum Religiosarum eduntur, et nominibus earumdem propriis inscribuntur, ex gr. *Venetiarum* aut *Ordinis Prædicatorum*. — Decretis generalibus ad majorem eorum efficaciam plerumque adjecta est explicita Summi Pontificis approbatio seu confirmatio, quæ implicita subest omnibus S. R. C. decretis etiam particularibus ex Constitutione Sixti V. *Immensa æterni Dei* etc 22 Januarii 1587, qua Sacra eadem Congregatio instituta est, ut no-

mina et auctoritate Summi Pontificis omnes omnium Ecclesiarum liturgicas quaestiones definiat, adeo ut ipsa Capella Pontificia eidem Congregationi subjaceat.

Nota. Aliud est quaerere, quaenam *dicantur*, et aliud quaerere, quaenam *sint* S. R. C. decreta generalia vel particularia. Omnia enim ipsius decreta, quatenus sunt declarativa legum liturgicarum, nempe Rubricarum, vim habent *interpretationis generalis*, ut ait Fornici inst. liturg. procem de regulis liturg. « Particularitas proinde aut universalitas responsionis S. R. C. non a persona dubium proponente, quae omnino extrinseca est ac impertinens, petenda est, sed a verbis ipsis dubii ac responsionis, quae intrinseca sunt ac ad significandum nata » Cavalieri Oper. lit Tom. I. cap. VI. dscr. 3. n. 5

II.

Q. An particularia S. R. C. decreta vim habeant obligandi etiam eos, quorum causa vel petitione lata non sunt?

R. Decreta particularia S. R. C. quatenus sunt declarativa Rubricarum, quibus omnes tenentur, obligant etiam eos, quorum causa vel petitione edita non sunt, statim ac sis certo innotescunt, adeo ut tollant etiam excusationem sumptam ab immemorabili consuetudine. Proposito enim dubio. a An decreta S. R. C. dum eduntur, derogent cuique invectae contrariae consuetudini etiam immemorabili, et in casu affirmativo obligent etiam quoad conscientiam? » eadem S. C. 11 Sept. 1847 in *Angelopolitana* ad 16 nulla facta decretorum distinctione respondit: *Affirmative, sed recurrendum in particulari*, in casu sci-

licet particulari simili quidem, sed non identico cum decisis. Omnia enimvero decreta et responsa S. R. C. sunt varissimæ atque irrefragabiles Rubricarum interpretationes, siquidem ex Constitutione Sixti V. *Immensa æterni Dei*, pollent suprema ac definitiva ipsius summi Pontificis auctoritate, et hæc est vara ratio, ob quam, ut jampridem observavit Merati in Tom. I. Gavanti, part. III. tit. XI. n. III. declarationes S. R. C. juxta communem Doctorum sensum præferendæ sunt opinionibus quorumcumque privatorum auctorum, non vero ea ratio, quam innuit Gury cum aliis minus caute affirmans (Teol. mor. Tom. I. n. 130. editionis Romanæ 1873) declarationes S. R. C. habendas esse *tantum*, ut responsa sapientissimorum virorum. Sunt enim quidem elaborata a sapientissimis viris, Consultoribus nempe Sacræ Congr. sed statim ac ejus nomine et auctoritate edita sunt, ex Constitutione Sixti V. et constanti successorum ejus Romanorum Pontificum voluntate habendæ sunt ut responsa Sanctæ Sedis et oracula ipsius Summi Pontificis. Si quid dubii hac de re superesse poterat, jam sublatum est rescripto S. C. 17 Julii 1846 confirmato a S. S. D. N. Pio Pp. IX. quo declaratum est « decreta et responsa quæcumque ab ipsa Sacra Congregatione propositis dubiis scripto formiter adita eamdem habere auctoritatem ac si immediate ab ipso Summo Pontifice promanarent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati Suæ. » Hinc patet, particularia decreta S. R. C. nihil differre a generalibus ratione auctoritatis, qua pollent, sed in eo tantum quod mittantur ad particulares Ecclesias pro instauranda vel servanda ibidem recta Rubricarum interpretatione atque observantia, mittenda tamen, sicuti identidem mittuntur, ad alias atque alias Ecclesias, ac demum ad omnes locorum Ordi-

narios (quo pacto generalia fiunt) sicubi verendum est, ne errores et abusus reprobati in aliquibus locis succrescant etiam alibi usuque firmentur. Hanc germanam decretorum S. R. C. notionem haud exhibentes aliqui auctores, præstantes quidem Theologi, sed in re liturgica minus periti, eam superfluis distinctionibus obnubilarunt, distinguentes decreta a declarationibus, vel decreta munita clausulis obligantibus a decretis, quæ his clausulis carent; quasi vero post Constitutionem Sixti V. declarationes S. R. C vim decreti non haberent, aut ejus decreta clausulis obligantibus indigerent, quod intelligi nequit. Etenim Sacra Rit. Congregatio novas non condit leges liturgicas, sed jam constitutas auctoritate apostolica declarat vel applicat pro opportunitate et necessitate Ecclesiarum; ex quo fluit verior distinctio in ejus responsis seu decretis particularibus probe facienda, quam fuse tradit et explicat clariss. Avanzini in opere periodico, cui titulus *Acta Sanctæ Sedis* Vol. III. append. XII distinguens videlicet decreta, quæ sunt doctrinales declarationes Rubricarum, a decretis, quæ veluti judiciales sententiæ sunt applicationes dumtaxat earumdem legum liturgicarum ad casus particulares. Prioris generis decreta, quamvis particularia, obligant ex dictis omnes, quibus certo innotescunt, siquidem unusquisque tenetur exequi leges, quibus subest, secundum veram, quam novit, earum interpretationem. Alterius autem generis decreta obligant eos tantum, quibus data sunt, vel qui in casu prorsus identico versantur, ut admonet Rmus Del Vecchio in Compendio Theol. Mor. Tom. I. n. 117.

III.

Q. Cum S. R. C plures edixerit, per Cæremoniale Romanum non tolli immemorabiles et laudabiles Ecclesiarum consuetudines, quæritur, quænam in genere habenda sit tum immemorabilis, tum laudabilis consuetudo?

R. *Immemorabilis* sive *immemorialis* dicitur in Jure consuetudo adeo antiqua, ut nemo memor esse possit temporis, quo primum inducta fuit, cujusmodi in Jure habetur *centenaria* nempe a centum retro annis perseverans, cum vix quispiam idoneus testis eorum, quæ a tanto tempore gesta sunt, reperiri queat — Nota, consuetudinem immemorabilem in aliis quidem rebus, si juri divino non adversetur, vim sæpe legis aut privilegii obtinere: In re autem liturgica hanc vim non habere, nisi eadem sit etiam vere ac positive laudabilis. Sacra enim Congr. decreto 11 Junii 1605 *in una Hispaniar* aliisque similibus, declarans *per Cæremoniale Rom. non tolli consuetudines Ecclesiarum immemorabiles et laudabiles*, hæc duo epitheta semper conjunxit ita, ut non disjunctivo sed copulative accipienda sint — Porro *laudabilis* in sacris ritibus ea tantum dici potest consuetudo, quæ etsi non sit *secundum*, *sed præter vel contra literam*, est tamen *secundum spiritum* Rubricarum; ea videlicet quæ præterquamquod nullam offendit rationem seu causam finalem Rubricarum, in eosdem tendit fines ac parem habet sive etiam uberiorem spiritualis ædificationis fructum. Patet enim nullo modo laudari posse consuetudinem, quæ finibus Rubricarum contrairet, vel quæ minus conferret ad spiritualem fidelium, in primis autem sacrorum Ministrorum ædificationem. Hæc enim,

etiamsi finibus Rubricarum non contrairet, sine ratione sufficienti discreparet a Rubricis et observantia communi, ideoque nequaquam laudabilis dici posset ad mentem Sacræ Congregationis, cui nihil est antiquius, quam uniformem sacrorum rituum intelligentiam et praxin ubique promovere; siquidem, ut ait S. Pius V. in Bulla Missali præfixa, *unum in Ecclesia Dei psallendi modum, unum Missæ celebrandæ ritum esse maxime decet.* — Hinc tamquam corollarium consequitur, nullam vim legis seu privilegii habere consuetudinem liturgicam, quamvis immemorabilem, quæ non fuerit in sensu positivo laudabilis æque saltem ac Rubricarum observatio, sed ad summum tolerari posse ad tempus, si causas Rubricarum finales graviter non offendat, prouti videre est nonnullam toleratam aliquando in rescriptis ipsius Sacræ Rit. Congregationis. Confer Theol. mor. S. Alphonsi De Lig. lib VI. n.° 401. ubi cum aliis docet licitum esse sese uniformare vigenti alicubi consuetudini Rubricis contrariæ, quæ tamen positivam indecentiam non contineat. Hic vero probe animadvertendum est, S. Doctorem loqui de communi sacrorum ministrorum officio in actu functionis, non autem de speciali, quod incumbit Rectoribus Ecclesiarum vel Magistris Cæremoniarum, curandi omnimodam, sublatis abusibus, Rubricarum observantiam.

Ex dictis patet, quam difficile sit judicare, an aliqua consuetudo a Rubricis diversa sit, nec ne, laudabilis. Oportet enim primum omnes perspectas habere causas finales Rubricarum et probe inspicere, num barum aliqua per consuetudinem offendatur; deinde perpendere consuetudinis utilitatem, an tanta sit, ut saltem exæquet Rubricarum observantiam. Hisce difficultatibus occurrit tutissima regula, quam cordatus quisque sequi debet, ne in dijudicandis quæ-

stionibus hujusmodi frequenter erret, nimirum « laudabiles procul dubio esse eas consuetudines, quas Sacra Rit. Congr. approbavit, minime vero eas, quas ipsa improbavit. » Hæc regula est hodie usui quamplurimum, ex quo enim instituta est Sacra Rit. Congr. usque in præsens tempus, spatio nempe trium sæculorum innumeræ pene quæstiones de variis Ecclesiarum consuetudinibus ab ipsa S. Congr. definitæ sunt. Illud tantummodo in usu hujus regulæ cavendum est, ne ex casuum similitudine dumtaxat trahatur consequentia ad laudandas vel improbandas consuetudines needum judicio Sacræ Congr. delatas. Nisi enim plane conveniant *in terminis* (uti ajunt scholastici) cum laudatis vel improbatis a S. Congr. facile diversæ factorum species subesse possunt diversis sententiis dijudicandæ. Hinc ipsa S. R. C. *in una Ord. Cappucinor.* proposito dubio « An decreta, indulta, decisiones SS. Rituum Congregationis datæ vel dandæ in casibus particularibus, applicabiles sint et adoptandæ in *similibus* casibus, quasi essent pro ubique decisæ, eo vel magis, quia Sacra ipsa Congregatio id innuere videtur, quando propositis dubiis respondere assolet ex. gr. *dentur decreta - juxta alias decreta - provisum in una etc.* » die 8 Aprilis 1854 ad VI. respondit: *Negative, et semper recurrendum in casibus particularibus.* Confer. *Opus* Acta Sanctæ Sedis *Vol.* III. pag. 567.

IV.

Q. Quid agendum in dubio, an laudabilis, nec ne, sit aliqua in sacris functionibus consuetudo?

R. In dubio prudenti, probabilibus nempe sententiis hinc inde a peritis etiam Rubricistis disputato, vel quod aliter terminari non posse videatur, recur-

rendum est per locorum Ordinarios ad Sacram Rit Congregationem Ipsa enim ideo instituta est « ut omnes omnium Ecclesiarum Urbis, et Orbis in sacris ritibus incidentes difficultates cognoscat, summaria terminet et componat » prout expressis verbis mandatum est in Constitutione Sixti V. *Immensa æterni Dei* etc 22 Jan 1587 Hinc enimvero invaluit hodierna Ecclesiæ disciplina referendi ad eamdem Sacr Congregationem quaslibet causas et quæstiones liturgicas Ejus supremo judicio terminandas; quod nemo sanus inficiabitur optima ratione fieri, cum nihil magis cavendum sit, quam ne ulla minus recta sive illaudabilis observantia in sacros ritus irrepat aut foveatur; nec privato judicio committendum sit, quod ad publicum Dei cultum spectat Idipsum confirmatur generali S R C. decreto 17 Sept. 1822 jussu sanct. mem Pii Pp. VII edito, in quo ad dubium 1 « Quomodo se gerere debeant Magistri cæremoniarum, aliique, qui vident in Ecclesiis non perагi functiones juxta Rubricas, nec observari decreta et resolutiones S Rit Congregationis? » responsum est *Adeundus loci Ordinarius, qui stricte tenetur opportunis remediis providere ut Rubricæ et S R C. decreta rite serventur Si quid dubii occurrat, recurrendum ad eamdem Sacr. Congr. pro declaratione*. Huic responso consonat apprime rescriptum ejusdem S. Congr 27 Aug 1836 in *Veronen* in quo, ad dubium « Quid dicendum de consuetudine a doctis plisque sacerdotibus, Ordinariis non contradicentibus, usurpata? » responsum est. *Recurrat in casibus particularibus*. Patet ergo, pro tuenda ac servanda in ævum consuetudine a Rubricis et decretis S R C. aberrante haudquaquam sufficere in præsenti Ecclesiæ disciplina principium juridicum possessionis seu præsumptionis, quæ pro ipsa mili-

tet, sed in dubio exquirendum esse judicium Sacræ Rit Congregationis

V.

Q. Qua forma debet esse superpelliceum, et cur Canonicis aliisque habentibus usum Rocheti præcipitur, ut in administratione Sacramentorum superpelliceum adhibeant?

R. ad 1. Superpelliceum, vulgo *cotta*, e candido lino contextum ad formam esse debet brevioris tunicæ manicatæ, ad tibias descendens, sicuti Rochetum, manicis vero latioribus et infra cubitus patentibus, quibus differt a Rocheto, quod angustas et constrictas ad manus manicas habet, nulla præterea nimis affectata artificiosi operis elegantia elaboretum, sed vix conspicuo ad muniendas oras reticulo exornatum. Hæc enim forma tum antiquitate, tum mysticis significationibus commendata, omnium fere ecclesiarum, in primis autem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ consuetudine, quæ vim legis obtinet, nec non Synodalibus decretis comprobatur, sicuti videre est apud Gavantum Comment in Missale Part. II. tit. I rubr. 2. et Part. V. append. III Card. Bona Rer. liturg. lib. I cap. XXIV n. XX Fornici Instit liturg. Part I cap IX. Hinc liquet, quam longe a probatis Ecclesiæ ritibus distent superpellicea adeo brevia, ut infra pectus vix descendant, aut manicis adeo decurtatis, ut brachia fere integra extent; aut vero tæniis sericis et versicoloribus, vel fibulis aureis sive argenteis, vel fimbriis longioribus et acu pictis exornata, quæ teste Gavanto vanitatem sapiunt. Liquet etiam, quid dicendum de ea superpellicei forma, cujus meminit Macri in Hierolexico, rotunda videlicet ad instar antiquæ planetæ sine manicis, sub qua ex lateribus brachia extolluntur. Hæc forma, maxime si ad instar

638

mozzettæ decurtata sit, utcumque per patientiam Ecclesiasticorum Præsulum alicubi ob paupertatem Cleri tolerata sit, nullo modo tamquam laudabili consuetudine innixa commendari potest, cum nulla sufficienti ratione, imo non sine aliquo incommodo, discrepet a forma communi, fueritque etiam expresse prohibita et improbata in Concilio Aquensi anno 1585 sequentibus verbis: *Superpellicea quæ manicis carent, et quæ non superpelliceorum, sed mantilium potius nomine digna sunt, prohibemus.* Confer. Moroni *Dizionar.* voc. *Cotta.*

Ad 2. Canonici aliique habentes usum rocheti debent in administratione Sacramentorum superpelliceum induere juxta decretum S. R. C. initio Missalis jussu Urbani Pp. VIII impressum, quod ex duplici causa præceptum fuisse videtur. Prima est, ut semper integra et inviolata maneat observantia Ritualis Romani, a quo *quivis* Sacerdos in administratione Sacramentorum superpelliceo indui jubetur. « De hoc enim, ut ait Fornici inst. lit. part. III. cap. III. cum lex clara, præceptiva et generalis sit, nulla excipitur persona quacumque dignitate præfulgens...... quod etiam pluries declaratum fuit a S. R. C. et clarius *in una Urbis* 12 Junii 1628 ad 1. Proposito nempe dubio: *An Canonicis usum cappæ habentibus liceat Sacramenta administrare cum solo rocheto et deposita cappa?* responsum fuit: *Sacramenta esse administranda cum superpelliceo et stola juxta Rituale Romanum.* » Altera causa est, ut servetur analogia cum reliquis Episcopalibus indumentis sive insigniis, quorum usus Canonicis aliisque dignioribus Sacerdotibus non conceditur, nisi cum certis actionum, temporum et locorum limitationibus, prouti videre est in Constitutione s. m. Pii Pp. VII. *Decet Romanos Pontifices* 4 Julii 1823. Sane rochetum est indumen-

tum proprium Episcopi, qui post electionem suam, si Romæ fuerit, illud e manu Pontificis recipere tenetur juxta Cæremoniale Rom. lib. I cap. I. n. 2 Hinc patet, falli eos, qui putant, ideo præcipi in administratione Sacramentorum superpelliceum, quod hoc quidem, non vero rochetum, vestibus sacris adnumeretur. Nam nec superpelliceum est vestis sacra stricto sensu, sed vestis propria totius Ordinis Clericalis in choro residentis, sicuti rochetum est vestis propria Episcoporum et Prælatorum, dum in Ecclesia assistunt divinis officiis, quamvis Episcopi possint aliquando eo uti etiam extra Ecclesiam et officia divina, prouti animadvertit Benedictus XIV de Synodo diœc. lib. III. cap. XI. n. IV. Sane vestes *sacræ* stricto sensu dicuntur illæ, quæ a Sacris dumtaxat Ministris pro sacris agendis adhibendæ sunt, postquam peculiari benedictione, quæ in Ritnali Rom. extat, ab Episcopo vel aliis facultatem habentibus consecratæ fuerint. Hinc colligitur, quomodo intelligendum sit responsum S. R. C. 10 Januarii 1852 in *Cenomanen*. ad 5 ubi ait, *rochetum non esse vestem sacram adhibendam in administratione Sacramentorum, ac proinde ad ea administranda necessario superpelliceo utendum;* nimirum ex vestibus, quæ lato tantum sensu sacræ dici possunt, rochetum non esse præ superpelliceo adhibendum in administratione Sacramentorum.

VI.

Q. An Calices aliaque vasa sacra, quæ indigent reparatione, antequam tradantur artifici, debeant aliqua forma execrari?

R. Sacra vasa, quæ indigent reparatione, antequam tradantur artifici, nulla forma execranda sunt,

sed tradenda sunt artifici probo et pio, qui per dispensationem facultatem ab Ordinario obtinuerit ea contrectandi. Etenim usus ea execrandi aliqua forma, veluti ictu manus aut virgæ sive alterius instrumenti, ex ignorantia et errore alicubi inductus omnino improbatus et prohibitus fuit per decretum generale S. R. C. editum jussu Pii Pp. VII. die 20 Aprilis 1822. Dispensatio autem pro artifice sacra vasa contrectaturo est necessaria; quia ex perpetua Ecclesiæ universalis disciplina laicis non licet absque necessitate et venia Ordinarii ea contingere. — Ad rem et praxeos gratia juverit observare, non esse opus dispensatione, si quando vasa, quæ sacra erant, suam jam amiserint consecrationem, quod ex communi Doctorum sententia tunc tantum accidit, quum per fractionem vel aliud infortunium prorsus inepta usui sacro facta sint, aut quum in nobiliore et praecipua parte ex materia profana per artificem innovata sint, veluti quum interior calicis vel patenæ superficies denuo per ipsum inaurata fuerit, juxta decretum S. R. C. 14 Junii 1845 *in Leodiensi*, in quo ad dubium: « Utrum calix et patena suam amittant consecrationem per novam deaurationem, et sic indigeant nova consecratione? » respondit. *Affirmative, amittere nimirum et indigere juxta exposita*. Ex quibus verbis cum proposito dubio collatis patet, hoc tantum a Sacra Congr. fuisse definitum, nempe calicem et patenam suam amittere consecrationem, si de novo inaurentur; non vero etiam illud, quod ex eodem responso minus recte infert Gury (theol. mor. Tom. II. n. 394 editionis Romanæ 1873) nempe calicem et patenam suam amittere consecrationem, si inauratio pereat. Sane si id quoque definitum fuisset, non egeret amplius artifex dispensatione pro contrectando

calice aut patena, cui novam deaurationem facere deberet. Confer Ferrari, Bibliothec. vocab. *Calix* n. 14 - 18 et S. Alphonsum theol. mor. lib. VI. n. 370. ubi S. Doctor accurate, pro more suo, duplicem ponit quæstionem 1. an execratur calix, si pereat inauratio? quod negative resolvit; 2. an calix, qui de novo inauratur, nova indigeat consecratione? quod posteaquam olim resolverat negative, re subinde melius considerata resolvit affirmative. Itaque da hac altera quæstione tantum intelligi potest, quod ipse Gury loco citato admonet, nempe Sacræ Congr. responso diremptam fuisse Theologorum controversiam, quæ in antecessum existabat.

VII.

Q. An calix et patena indigeant consecratione, et mappæ, corporalia et indumenta sacerdotalia benedictione, si semel bona fide adhibita fuerint in celebratione Missæ, cum nondum essent consecrata vel benedicta?

R. Valde implexa hæc est quæstio tum ob principia doctrinæ liturgicæ, quæ colliди videntur, tum ob Doctorum, qui inter se discrepant, auctoritatem. Alii enim cum Gavanto tradunt vasa et indumenta semel bona fide adhibita in celebratione Missæ non amplius indigere consecratione vel benedictione, eo freti principio, quod ipso sacro usu res consecrentur, juxta illud S. Augustini effatum: *Vasa ipso ministerio consecrata sancta dicuntur.* — Alii ex eodem principio idem adstruunt, etiamsi mala fides intercesserit, cum malitia ministri non videatur impedire posse effectum sanctificationis, quæ ex sacro usu et maxime ex contactu sacrarum specierum accedit rebus in Missa adhibitis. — Alii

damum cum Mereti, S. Alphonso et Fornici defendunt vasa et indumenta necdum consecrata vel benedicta, utcumque bona fide semel vel pluries adhibita fuerint in celebratione Missæ, indigere semper consecratione vel benedictione, eo innixi principio, quod quæ pendent ex instituto Ecclesiæ, nequeant alio ritu suppleri, quam quo istituit Ecclesia, idque confirmant ex analogia cum templis et altaribus, quæ juxta perpetuam Ecclesiæ disciplinam non consecrantur per Missas in illis celebratas, sed per dedicationem seu consecrationem ritualem tantum ab Ecclesia præscriptam Confer Gavantum Tom. I part II tit. I. lit. h, et part. IV. tit. XIX. n. 21 Merati observ. IX. in priorem Gavanti locum, S. Alphonsum theol. mor. lib VI n. 380. Fornici inst. lit. part. I. cap IV. Quamvis autem tutior sit, et hodie communior apud Rubricistas sententia S. Alphonsi, nullum tamen, quod ego sciam, extat Sacræ Rit Congr responsum, quo hæc Doctorum controversia dirempta fuerit. Verum enimvero omnis, ni fallor, cessat difficultas et commode lis componitur, si non una tantum, sed duplex ponatur quæstio. Prima est, an vasa et indumenta necdum sacrata vel benedicta semel adhibita in celebratione Missæ habenda sint sacra, adeo ut nefas sit laicis ea contrectare; cui quæstioni plane convenire videtur resolutio affirmativa juxta S. Augustini effatum. Altera est, an hujusmodi vasa et indumenta egeant adhuc rituali consecratione vel benedictione ad hoc, ut iterum iterumque possint pro Missa celebranda adhiberi, et in hac quæstione nemo prudens a tutiore S. Alphonsi sententia recedet. Ita cum principio, quod ipso sacro usu res consecrentur, convenit principium, quod nonnisi per ritum ab Ecclesia præscriptum res deputentur ad sacrum ministerium; at servetur a-

nalogia cum legibus liturgicis, quæ spectant ad templa et altaria. Hinc etiam colligi potest, quid in praxi servandum sit, si quando vasa aut indumenta sacerdotalia per errorem adhibita fuerint in sacro ministerio, antequam ab Episcopo consecrata vel ab alio facultatem habente benedicta fuissent. Caute nimirum et reverenter servanda sunt eoraim tum ab iis, quæ jam consecrata et benedicta fuerunt, tum ab iis, quæ numquam in sacris actionibus adhibita sunt et adhuc profana censentur.

VIII

Q. An urgente necessitate celebrandi die festo, vel pro conficiendo SS. Viatico, liceat sacrum facere cum aliquo sacerdotali indumento nondum ab Episcopo benedicto ?

R. Haec quæstio pendet argumentatione *a majori ad minus* ab alia majoris momenti quæstione, qua scilicet quæritur, an urgente necessitate liceat sacrum facere *sine* aliquo ex præscriptis sacerdotalibus indumentis : nam si quando id liceat, multo magis licebit ex pari necessitatis causa sacrum facere *cum* aliquo indumento ejusmodi nondum benedicto. Tota quippe ratio, cur aliquando licitum esse possit sacrum peragere sine aliquo sacro indumento, alia esse nequit, nisi quia eo deficiente adhuc sacrum fieri potest sine gravi indecentia, quæ longe abest, si nullum desit sacerdotale indumentum, et quod adhibetur, careat dumtaxat episcopali benedictione. Iam vero in quæstione, an liceat sine aliqua sacra veste Missam celebrare, Doctores distinguunt vestes sacras in *majores* et *minores*, nempe majoris vel minoris momenti, non quidem ratione dignitatis singularum (sunt enim omnes dignitate ferme

æquales tum ob eamdem formulam benedictionis, qua consecratæ sunt, tum ob eumdem usum in ministerio, scilicet in ornamentum sacerdotis celebrantis) sed ratione exterioris decentiæ, cujus gratia majoribus accensent albam, stolam et planetam, minoribus autem amictum, cingulum et manipulum; docent proinde, posse aliquando ex causa necessitatis excusari sacerdotem celebrantem sine aliquo minori indumento, non vero sine aliqua veste majore, præsertim alba et planeta, quarum alterutra deficiente, utcumque cæteris omnibus ornatus sit sacerdos, nequaquam ei permittunt Missæ celebrationem. Ergo quod ad nostram attinet quæstionem, argumento a majori ad minus licebit profecto, urgente necessitate, Missam aliquando celebrare cum aliquo ex minoribus indumentis, scilicet amictu, vel cingulo, vel manipulo nondum benedicto. — Quid vero dicendum de stola, et multo magis de alba vel planeta non benedicta ? licebit ne cum ea, urgente necessitate, sacrum facere ? Equidem putaverim licere; quia cum agatur tantummodo de defectu, qui in oculos non cadit, non habet locum distinctio illa inter vestes sacerdotales majores et minores, quæ a Doctoribus ratione tantum exterioris decentiæ in alia quæstione invecta est; idque confirmatum mihi est auctoritate et doctrina S. Alphonsi, qui theol. mor. lib. VI. n. 377. docet, gravem necessitatem excusare probabiliter sacerdotem celebrantem cum *stola* vel manipulo non benedicto, et n. 386. de corporali agens, certum esse ait apud omnes, quod urgente necessitate liceat celebrare cum corporali non benedicto. Atqui nemo negaverit, corporale ob immediatum divini Corporis contactum præstare dignitate vel ipsis majoribus sacerdotalibus indumentis: ergo, si urgente necessitate eo uti licet nondum

benedicto, multo magis licebit ex causa necessitatis uti alba, vel stola, vel planeta non benedicta. - Quæ hucusque dicta sunt, intra terminos continentur quæstionis propositæ de *aliquo* tantum sacerdotali indumento non benedicto Quid vero dicendum, si non de aliquo, nempe uno, aut uno et altero tantum, sed de pluribus aut etiam omnibus agatur sacerdotalibus indumentis non benedictis? licebitne cum iisdem, urgente necessitate, sacrum peragere? Respondeo, in hac hypothesi haud esse sufficientem solam necessitatem celebrandi pro populo die festo, vel etiam conficiendi pro infirmo SS. Viaticum, sed oportere ut adjungatur necessitas (quæ jam in facto plerumque adjungitur) gravis damni aut scandali vitandi, quia, ut observat Forcici inst. lit part. I. cap XIII. ex doctrina S. Thomæ Aquin et communi Doctorum sententia cessat quodcumque positivum celebrandi præceptum, quotiescumque ritus ab Ecclesia præscriptus servari nequeat. Atqui ad hunc ritum omnino pertinet, ut vestes adhibendæ sint ab Episcopo vel alio facultatem habente benedictæ, prouti constat ex Missali *de ritu serv in celebr. Miss.* cap. I. n. 2. et *de defectibus in celebr. Miss. occurrentibus* cap X n 1. nec vero satis servatus hic ritus videtur a sacerdote, qui non majori saltem parte sacerdotalium vestium benedicta induatur. Ergo cum pluribus vel omnibus hujusmodi vestibus non benedictis sacrum facere non licet, nisi urgeat necessitas gravis damni aut scandali vitandi Hanc porro necessitatem excusare celebrantem quivis vel rigidior Rubricista facile concedet, eo quod in hypothesi nulla in sacra actione interveniat indecentia, ac proinde lex mere liturgica cedat legi regali charitatis, quæ omnia sustinet, ut omne a proximo damnum maximèque scandalum avertat.

686

Admittitur

Die 28 *Octobris* 1876

✠ JO. ANTONIUS Episcopus Vicet.